

BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich


XVII

2027

1.482

Father Rocken





370

GRATVLA TIO

Cardinalij honoris

17

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino,
DOMINO ANTONIO SANCTA-
CRVCIO, ARCHIEPISCOPO
SELEVCIÆ,

& ad

SERENISSIMVM AC POTENTISSIMVM
POLONIÆ ET S V E C I A E
R E G E M ,
NVNCIO APOSTOLICO:

à

G R E G O R I O B O R A S T O

diciturta.



V A R S A V I Æ,

In Officina Ioannis Rossowski, S. R. M. Typogra-
phi. Anno Domini 1630.

Lectori.

Per discrimina, ad Purpuram & Honorem, CARDINALI
LEM duco, aut potius virtus, quo ille Cardine usus est, an-
tequam Cardinalis esset. Sic illa multos, magnos fere semper. Quod
vero tamdiu in periculis eius hæream, admiratio facit, & latitia.
Pestis enim, quæ grauis publicè fuit, priuatim in domo ipsius ita a-
trox extitit, ut maior pars Regni, publicusque amor, & salus, se in sa-
lute illius periclitari putauerit. Et licet exitio per viliora tantum
capita fatum crudele cucurrit, terrore tamen, aut periculo per o-
mnes cucurrit, & spaciū euadendi vix accuratissimis consiliis, sum-
mæq; prouidentiæ permisit. Sed ita tam magnum malum, tam magno
honore sarciri debuit. Nec Purpura vile nomen est: sanguine con-
stitut, antequam celebritatem apud veteres haberet: nec aliter postea
preciosafuit. Sed ille quidem nunc precium laboris & virtutis fert:
tu, ut diu, ut feliciter ferat, proferatq; ad honoris & felicitatis cul-
men, mecum precare.

Quid.
10. Metā.
Plin. l. 9
6. 36, &c.

XVII - 2027-II

GRATVLA TIO

Cardinalitij honoris.

 IC decuit, ut tanti metus pallorem, qui pericula tua, ILLVSTRISSIME CARDINALIS, circumdederat, exhilararet Purpura; tot terrorum nubem, non sola exciperet serenitas, sed & illustraret dignitas, fugientemq; per loca incerta securitatem sisteret laetitia, sed & inueniret honor, ac post tot aduersa, & tempestates, tempestiuum decus. Neque vereor hic verbi insolentiam, quamvis in iniquo tempore: nihil enim hic insolens, sicut nil inuium honori sic venienti. Tunc enim venit, cum in summis maximisq; rerum omnium difficultatibus, sanguine intra aedes, comitante foras, persequente per nouas sedes nouo aliquo casu, vel terrore, aures & oculos tuos, varia calamitatum facies, aut rumores circumstetissent, ac nondum se omnino in formidine tota excussissent, sed adhuc horrore quodam sui, reluctantem memoriam, & surgentia gaudia perfunderent. Quid tunc verò ad laetitiae instaurationem opportunius? aut ad expectationem tuam iucundius? vel ad rerum mutationem tempestiuus, aut honorificentius, quam ut tam periculosos & infestos casus illud exciperet, quod solatio, quod dignitate par esset, aut maius & planè, ut cum periculorum magnitudine, honoris & ornamenti magnitudo contendisse videretur. Quod si post nubila gravior Sol, si tranquillitatem commendant turbines, non ingratum quoque erit modestiæ tuæ, si post nubila, post

turbines, salus tua, & securitas, cœlo arrideat tam benignè se respicienti: nec magnitudini animi tui quicquam decedet, si frontem generosam, quam explicuit periculis, explicet hilaritatı, & non auersetur gloriam, tam blandè, sed & tam honorificè succedentem: nihil deniq; fortitudini derogabitur, si constantia in portu, quam e fluctibus coronari malit., fluctus tamen experta, in quibus rara virtus citra naufragium litus tenuisset, aut retinuisse dignitatem. Tanto igitur nunc suauius, adeoq; iustius, invictum illud pectus tuum, intra placidioris fortunæ affectum quiesceret, & præteriorum malorum recordationi victoriarum, suarum conscientia, voluptas lenocinabitur, quanto laboriosius per incommoda aut tumultus, patietia & fortitudo incesserant. Fruere itaque hac laudum tuarum conscientiâ, quam sic aduersa delectant, vt ornare debuerint secunda. Neque enim ita se omni indulxit animo, vel robori virtus, vt moram vbiique & obstacula omnia aut nesciat, aut discutiat: neque semper integritatem hanc ad titulos suos decus omne adfert, vt per timores, per calamitates, securitatis & gloriae passu vadat. Ad te, ILLVSTR^{me} CARD^{lis}, sic dignitas hæc pervenit, vt non respiceret pericula, nè tardè veniret, sicut non respexit annos, nè tarde meruisse videreris. Per ipsa terrorum ac discriminum ferociam aut famam, festinus cucurrit honor, vt se totum probaret virtutis, totum merit, hoc est tuum. Nec degenerauit à virium suarum fiducia, vel à muneric & potentiae suæ maiestate, Domina gentium: sed constare debuit, quicquid mitteret ROMA, nec timorem sentire, nec habere impedimentum. Nec PONTIFICEM MAXIMVM sua auctoritas, suumque ius, & cœlo, officioque suo confisa potestas fecellit. Non enim casibus

casibus vllis, non supremis rerum humanarum necessitatibus effici potuit, quin id quod ea censeret, quod destinaret, quod daret, vbiq; certum, vbiq; ratum & securum esset. Neque aliter venire debuit tibi deditus, tibi debitus honor. Incolumem itaque siue te inuenit, siue præstítit, approbasti Orbi terrarum, Sacrosanctæ S E D I S auctoritatem neque in suo iudicio, neque in alienis meritis errare. Nos quidem satis tunc expectationi, satis quodammodo gaudio nostro, satis etiam adhuc felicitati tuæ gratulari videbamur, cum te inter tot tantosq; terrores interritum, propè tot inualetudines vñlidum, saluumque, stupefactis inter metum gaudiumque animis, attonitus rumor nunciaret. Ignosce, quod fortunam tuam nostris metiebamur affectibus: ignosce, inquam, quod trepidante adhuc intra fiduciam, intra securitatem suam lætitiam, incolumitatem tibi tantum, & quod primum in trepidis rebus est, non quod supremum in lætis, optaremus. Tuum hoc decus, tua gloria est, plus consequi, plus mereri, quam alienæ æstimationis animiq; magnitudo (siue illa timiditas fuit) intra circumfusæ calamitatis rumores, pro Te solùm sollicita, assequi voto posset. Quis enim tam pertinacem periculorum malitiam, in obstinatione sua, non diutissimè formidaret? & ad toties redeentes paiores, non animo, non timore toto exhorresceret? cum fugam, cum refugia propè omnia formidines, terroresque sequerentur, & dubio vel iniquo aliquo casu abitum, moram, & spem quodammodo ipsam turbarent. Vixdum post relicta longè discrimina, post excusso procul metus, adeoq; post securitatem in totâ libertate receptam, tota sibi credere hilaritas, aut fidere certitudo audet:

Magnaque ---- etiamnum gaudia pallent.

5
GRATVLATIO

Hæc enim vis maximi timoris est, ægrè se recipere ad tranquillitatem: sed & hoc maximi amoris argumentum, est tardè desinere timere. Fidem plerumque meruere ingentibus exemplis & disciplinæ nobilitate iij, qui cælestibus arcanis audaces immisere curas, ut ex tumultuofissima mundi parte, vbi pluviæ, & nubes, & fulgura, & si quid ibi turbulentius est, habitant, manifesti sëpe indicij tumultu, propinquatum vicissitudinū causas, & significations descendere credamus. Et quia ætas omnis in hanc existimationem blando assensu semper iuit, nemo ferè suo cum seculo, vel cum perpetuæ experientiæ diligentia rixari voluit, vt magnarum rerum conuersiones, magnis se antè motibus, mortalium fatis monstrare, omnino negaret. Vtriusque enim fortunæ documentis constat, nobiles euentus paribus frequenter ostentis nunciari; sed & grauium sëpe malorum minas, aut tempestates, in clarissimæ celebritatis elementiam desinere. Non ibo per obuia passim exempla, aut illa calamitatibus tantum nota nomina, vel secundis iterum rebus turgida. Neque tamen omnes, qui cum felicitate in gratiam rediere, continuò cum innocentia rediere, quando multi ad prioravitia maiore impetu regressi, crudelitatem & alia facinora ægrè relicta, acriùs resumpserunt. Neque enim per aduersa omnes secuta est virtus, aut ad prospera reduxit. Quosdam inanibus tantum rumoribus fama circumdedit, læta tristibus miscens, & multum ex horrore sëpe adiungens, vt se probaret admirationi. Alios quoq; nil syncerum, nil certum, seriumue, ad magnæ opinionis specimē, & veluti scenam publicæ ostentationis produxit. Neque hic amoena solùm carminum libertas luxuriat, sed etiam è grauitate sua crebro descendens historiæ maiestas, nobilem

Cardinalitii honoris.

bilem fastorum ingenuitatem miraculis vel periculis corrumpt̄, vt ornet, & per ora populorum, & posteritatis stuporem, commendatior incedat. Sic Romanæ Vrbis parentes, vsq; ad pereundi ignominiam, & luporum benevolentiam abiecit. Et quandiu, quāmquē monstrōse per terras mariaq; errauit Cadmus, vt Amphionā tandem lyrā, non vno nomine fabulosā surgerent Thebæ, & quicquid draconum vel serpentum genus esse debuit? Adeò nihil ferè, nisi per magnas calamitates aut discrimina, magnum esse, aut credi voluit. Neque verò circa vrbium gentiumq; fata tantūm, operosa historiæ sic luctatur fides, aut quicquid illud est, in cuius assensum humannissimā semper adulatio[n]e posteritas properauit, sed virorum etiam syncera facta, veramque sæpè famam in discrimen adducit. Quid verò leuius, abiectiñsq; & aut à spe & dignitate magnitudinis omnis ac honoris magis alienum, quām cùm inter varia terrorum ostenta, nullum virtutis, nullum fortitudinis nomen, aut vestigium extat? Quosdam enim nondum natos, aut non vigilantes, nec fortunæ, ad quam ferebantur consciens, sed in alieno sinu, vel in cunabulis, magna statim fabula excepit, aut decepit. Quæ enim ætas, aut quæ natio, non principū, non heroum laudibus insignem aliquem pauorem aut letitiam, inopinati boni, maliue adiutam argumento, circūdedit? Mitto illos, quos per variæ superstitionis ludibria, ambitiosæ credulitatis vota, vel blandus vatum favor, aut error, anxiæ circūculit, quiuè prodigijs vel oraculis, aut si quid incertius, spes futuras tradidere, vt non nisi per periculorum gloriam, aut similitudinem potius, ad fortunatorum turbam reciperentur. Et in his quidem aliquando ex euentu fidem casus habuit, quam non meruisset

GRATVLATI O

ruisset virtus : quos ideo tam facile condemnat vanitas ;
quàm sola commendat felicitas , ea que ambigüe plerūq;
parta , malè dein administrata , & peius sēpe deposita ,
dum non in sua tantum , sed aliena etiam & publica fata
nobile discrimen alerent , aut quærerent . Nihil pulchrius ,
nihil generosius , neque ad honestæ fiduciæ dignitatem
certius , aut ad perpetuæ gloriæ securitatem syncerius ,
quàm vbi venturam claritatem ea ducunt signa , quæ
insignia simul virtutis sint , per aduersa , per magna , pari
animo euntis .

Hæc tu nūc laudem , ILL^{me} CARD^{lis} , singulari fortitudine , incredibili cōstantiā , inuicta perseuerētiā , multis nō
solum fortissimis viris , verū & sœculis præripuisti , quo-
rum magnæ sēpe laudes , magnis inhorruere notis ac ma-
culis . Quid enim vanius ? aut ad virtutis & meriti inge-
nuitatem indignius , quàm (vt pauca ē multis delibemus)
quòd Seruio Tullio in tenera ætate , citra periculi ac fortè
rei gestæ veritatem , arsit caput diademati inserendum , ad
quod nihil attulit ipse nisi foemineam , suamq; postea
fraudem ? vel quod in Lauiniæ & Regalium comarum ,
flammis . Æneas & Romanæ originis celebritas monstrata
est ? vel deniq; in peiori igne , cùm intra somnia aliena Pa-
ridi Helena , & quicquid cum illa in Troiæ exitium rapi
debuit , desponsatum fuit ? Hi ignes , hæ flammæ , si ve-
ræ fuere , innoxiae non fuere . Præibant enim incendia
illa , quibus in Seruio exarsit Regni cupido , & oppressum
est aliquandiu Regium genus , vt regnaret seruile : quibus
itâ Latinæ virginis teda coniugales accensæ sunt , vt in-
cenderint Latium : quibus postremò sic flagravit Paris ,
vt conflagrârit Troia . Lusit in his , aut illusa est antiqui-
tas , vel si in quibusdam vera aliquando narravit , suos er-
rores

Halic. l. 4.
Liu. l. 1.
d. 1.

Æn. 7. La-
uinia virgo
Regales ac-
cessu comas.

Et post.
Face Cis-
seis præ-
gnans i-
ngnes eni-
xa iuga-
les.

rores , sua crimina , suam ambitionem , & quicquid tot
 calamitatibus dignum non fuit, narravit. Sic Marium fu-
 ga , & palus , & carcer erexit ad fasces iterum , & Consu-
 latum Septimum , cui vnu tantum bene partus erat : licet
 etiam non tanti fuerit calamitosum esse Marium. Sic ne-
 que Camillus , nisi post exilium , neq; is, qui in Asdrubale cæso , Annibal animos & fortunam fregit, nisi post
 ignominiam & damnationem , ad titulos liberatæ Romæ
 transcendere. Et fuit , qui aliquamdiu inter secunda, ad-
 uersaque distractus , tandem ambiguè redeunte fortunâ ,
 professus est, se perijisse, nisi perijisset. Sed non permittam
 diutiùs Purpuram , aut per foeda & cruenta exempla de-
 colorari , aut per infelicia funestari , aut tam preciosi ho-
 noris dignitatem, per somnia & fabulas vilescere, quam-
 uis in his quoque fidem & honorem sæpe quæsuerint
 fasces & Purpura. Nam etiam per hæc, omnibus ætatibus,
 magna sæpè superbiunt nomina , quæ licet se ad gloriam
 destinata , & aliquando educita iactare possint, eò quod
 ad solium , vel alia dignitatum culmina euaserunt , mihi
 tamen neque ea , quæ casu , fortunâ , aut impetu , vel pe-
 iore duce , vi nempè & seuitiâ , ad fastigia , vel ornamenta
 aliqua iuerê , inter virtutis præmia numeranda sunt , ne-
 que illa, quæ tardè ad laudem peruenere, inter properan-
 tis felicitatis decora admittenda erunt. Tuum hoc decus,
 sanctius est , quam ut monstris ornari , syncerius , quam ut
 figmentis adiuuari , iustius denique , quam ut maculis , cœ-
 surisque , & quæ victos , aut damnatos sequebantur , notis
 violari debeat. Vtar nostræ , vtar publicæ de te æstima-
 tionis libertate , vtar totâ libertatis fiduciâ , ILLVSTM
 CAR Dlis. Quicquid passus , quicquid perpeccus es , pars
 gloriae erat ; quid tibi cum inglorijs , aut crudelibus exē-

De his in-
fra.

plis? quicquid incommodi subiisti, quicquid transiisti,
 iter ad laudem, faces ad honorem erat; quid tibi cum fal-
 sis, fictisque ignibus? Et sunt in domo, aut in affinitate,
 veri, sunt puri, illique supra spem, viresque, & admiratio-
 nem, fortes. Et erit, cum in tuo honore, in tuae laudis me-
 tione se memorari gaudebunt. Praecesserant quidem iam
 quædam veluti periculorum incendia, sed ut præluceret
 venturo lumini, aut præberent lumen; præcesserant in-
 quam, sed ut nullum in te ius haberent, etiam cum vici-
 na, cum proxima absumerent, vel amburerent. Prae-
 cesserant atroces casus, variaque rerum formido, quæ si in
 suâ saevitiâ, & contumaciâ, veterum ætatum rigorem, aut
 fortitudinem attigissent, etiam horrido illo virorum se-
 culo, frangere Camillos, obruere Marios, euertere potu-
 issent Liuios.

Et euertissent hic profecto constantiam omnem, nisi
 in SANCTA CRVCIVM incidissent, iam in Cognomine, in
 cognominis privilegio munitum. Nihil hic molle, nihil
 indignum, atque (ut omnia simul complectar) nihil in-
 fra cognomenti robur, & firmitatem inuenere; quid tibi
 cum imparis, aut degeneris fortunæ, aut quæ non tota
 sunt innocentiae, non tota virtutis, nominibus? Magnæ
 tamen serenitatis indicium, magnæ iam gloriæ obsequi-
 um, pericula tanto impetu venientia, tantâ ferociâ du-
 rantia, tibi debebat: & iam se lux illa, ille fulgor Purpu-
 ræ, in illo aduersarum rerum veluti fulgure, fulmineque,
 secuturi honoris claritati, prospero terrore ostentabat.
 Inhorruit quidem ad casus tuos publicus amor: nihil iam
 tum tamen, nisi magnum, nisi insigne aliquid portendi
 tanto discriminum apparatu, ominabatur, aut cupiebat
 hucque iam vota, iam præfigia, iam rumor cupidissi-
 mo con-

mo consensu coibant: & passim se fama quærebat, & spargebat. Non semper illa errat, sed nec post facta semper venit, aliquando & præuenit. Alibi vincebat olim Romanus, & domi de victoria plaudebat Roma: aut dū victoriæ nuncio credere noluit, explorauit carcere, vt mox approbaret honore, remuneraret præmio. Ominum sanè obseruationem, contactu aliquo religioni innexam esse, nec fortuito motu, sed diuina prouidentia constare, vetus ætas creditit, experitur præsens, dum de te vera, dum honorifica, nō se tantum sperasse, sed credidisse, sed vulgasse animaduerit, licet nullo adhuc nuncio, nullo auctore, nisi tuo merito, tuā virtute, quæ omen hic omne implet, aut præstat, in cuius titulis, id non est maximum, quod à maximo potest proficisci, nisi à maximis etiam meritorum argumentis profectum: in cuius laudibus non est summum, à summo tantum Principe, sed à summo iudicio id accipere, quod summa æquat, aut facit.

Primum, in ea ætate honorem accepisti, in qua nullum iniquæ estimationi locum reliquisti, quasi, vel annis datus sit, aut diu rogantis, vel expectantis ætatis venerationi, in quam officia, dignitatesq; solâ sæpe temporum morâ descendunt: vel prouectæ insignibus senectutis illapsus, quæ vultum, quæ moras, quæ prudentiam, vel prudentiæ opinionem, supra iuuentæ aspectum eleuat, & sese in canitie oculis, iudicijsq; hominum approbat, aut commendat. Nam est sæpe senecta pro merito, & in lucro, gloriaq; habetur, gaudere titulis sepulchro inscribendis, qui non poterant inscribi vitæ. Nec ideo ullius hic canos violatos volumus. Maneat, manebitque illis illæsa dignitatis suæ, & honoris prærogatiua, quæ sic tribuitur senio, vt debeat sapientiæ, & consiliorum ma-

B. Fulg.
I. 1.
Val. Max.
I. 1 c. 8,
Idem I. 1.
c. 5.

GRATULATIO

turitati, rerumque experientiae, quæ intra minores annos non habitat, nisi si quos indolis felicitas supra omnes fortunæ, & virtutis acquirendæ moras erexit.

Agnoscis hic decus tuum, ILL^{me} CAR^{D_{lis}}, atq;
adeo agnosce, licet à nouâ hac Purpurâ ruborem, & ho-
noris sui colorem verecundia ducat: agnosce, inquam,
aut si nondum se laudibus, se meritis suis modestia audet
fateri, crede publicæ lœtitiæ, crede publicæ existimationis
cōsensui, crede illi iudicio, quod supra omnē humanæ di-
gnitatis auctoritatem, non solum muneric, verum etiam
censendi, iudicandiq; potestate sedet; quid post hac an-
nos computamus? aut quid ab ætate rationes exigimus,
quam virtus expleuit, aut excessit? Nihil hic impar, nihil
inæquale, ad tantum decus acquirendum, aut possidendū,
vel in posterum excolendum. Flos æui, florem sibi ho-
norum, Purpuram iunxit, & quia iunxit, quid de coro-
na ambigimus, aut pulchritudine ornamenti? Quòd sie-
tiam hi flores, hæ gemmæ ætatis, hæc germina dignitatis,
in maturitatem crescent, (vti quidem virtus tua & bono-
rum omnium vota spondent) quid de fructu, & veluti
mæsse dubitamus? Neque hic me, cum fortunâ tuâ magis,
quàm tecum loqui quisquam putet. Nihil hic fortunæ
fuit, vbi soli virtuti, soli fortitudini, & animo tuo reli-
ctus eras; aut si qua fortuna fuit, sic te in sœuissimâ renâ
humanarum parte explorauit, sic exercuit, vt nihil reli-
querit, quod benevolentiae assignare ipsa, si vellet, adu-
latio posset. *Virtuti debere quod vendicat, Herculei generis fa-*
tum esse, aliquis dixit, Imperatorem Maximianum cognoscen-
to Herculeum laudans, illusus in genere, deceptus in cognomine, falsus in laudatione. Nunc certè SANCTA-
CRUCIANI generis decus est, dignum famæ, gloriæque
offerre

Claud. Ma-
martin. in
Panegyr.
ad Imper.
Maxim.
Herculeū,

offerre pectus, & difficillimis experimentis, se honoribus vindicare: licet nulli honores in ea familiâ difficiles vide-ri debeant, ubi iam inter Purpurata nomina, tam crebræ SANCTACRVCIORVM imagines conspicuntur. Itaque paratum, aut debitum Tibi, hoc terrorum, hoc periculorum Theatrum fuit: quanquam, quid terrorum, quid periculorum, dico & quod fuit virtutis, quod fuit constantiae, & quid nisi, ut constaret, nihil fuisse quod casui, aut si quod blandius rerum humanarum nomen, sed Tibi, sed tuo nomini deberetur, quod nihil aliud est, nisi totum, vna, & perpetua fortitudinis sedes, atq; origo; ex quo nihil oriri, nihil educi, nihil exurgere potest, nisi V N I C A, E T C O N S T A N S V I R T U S. Fuit semper familie vestrae ab origine ipsa, fatum hoc, haec gloria, non potuisse, non debuisse, nisi magnis, grauibusq; casibus, & factis insignibus dignitatem, famam, ac ne cognomen quidem mereri. Neque verò hoc vnum, aut uno merito partum, sed per diuersorum seculorum, facinorumq; celebritatem, ita diffusum, ut veterem, priscamq; non amiserit maiestatem, sed nouam semper asciuerit. Quò facilius festinatæ gratulationis simplicitati ignoscet, quæ nec vni par, plura consequi velit. Quantumcunque enim studio & contentione se ad spem erigat, & in voti audaciâ, obsequij gloriam petat, nihilominus tamen in tot hominum, rerumque, ac factorum dignitatibus, non suo tantum, sed alieno, id est, Vestrae laudis periculo trepidat, & vbique in magnitudine Vestra, voto & exilitate laborat suâ. Quò magis verendum mihi est, ne tantâ virtutum luce, tot cognominum splendore, fulgoreq; perstricta, sæpius veluti hebes, & attonita hæreat, cum illorum nullum sit, quod non Vrbis, non Orbis studia, aut amarint semper,

Anagramma super Antonius Sanctacru-
cius.

aut ye-

aut venerata sint.. Non miraberis itaque vel (vt modestiam, & humanitatem Tuam candidissimè appellem) non indignaberis, si non ire per vniuersa liceat, nisi aut delibando, quæ ad laudē, & decus, ita ab indignitate, & obscuritate omni illibata fuere, vt summa semper, & maxima essent: aut deligendo, que in omni ætatum, honorūque delectu, ita ad gloriam, ad admirationem selecta fuere, vt prima, vt suprema essent.. Qua in re, si ad vetera respiciam, repente se vetustissima offerunt, sed & nobilissima: si ad recentia, obruunt multitudine, sed & claritate; & sicut, non numero tantum, verùm etiam dignitate, plurimarum gentium vincunt imagines, ita & narrationis simul & laudationis copiam excedunt. Nam proximis his ætatibus, tam magna Purpuratorum turba, tā propinquâ connexione seriem honorum ducens, & in familia longo tenore nectens, non potest esse infœcundæ, sed nec tardæ virtutis argumentum, cum nec moram passa sit, quin continua esset, nec angustiam, quin amplissima, nec infrequentiam, cum tam crebra, perpetuaque fuerit.. Sed nec yberiore, aut clariore luce duci, quam ad Te, nec maiore fiduciâ necti, quam in Te potuit, in cuius annis, sic honos, sic dignitas omnis adolescere potest, vt semper crescere, semper augeri, & propagari possit.. Nec tamen ita se togâ inclusit, vt hic solùm Purpuram meruerit, sed & in sago lauream, ubi sàpè sanguinis Purpurâ, ad gloriam opus fuit..

Licet verò CRVX, & SANCTITAS, antiqua, domus Vestræ insignia & cognomina sint, sunt tamen & ante CRVCEM, quæ pulcherrimâ honoris autoritate, vsque ad ipsam præcedere possint, præsertim cùm nondum per veræ Religionis cognitionem in Diuinæ appellationis commer-

commercium humana migrassent cognomina. Neque postea tamen C R V X , vetus nomen fastidiuit , cum seculis aliquot se SANCTACRVCIOS D E PVBLCOLIS gratissimā claritudinis coniunctione Maiores Vestri plerumq; dixerint.. Et quia Romana est stirps , genusque Vestrum , nihil quæram extra Romam , hoc est , extra summam claritudinem , & si quid foris accesserit , Romanæ tamen , & Vestræ pars gloriæ erit.. Antiquitatem autem , quid opus est ibi diu quærere ? cum non antè Roma fuerit libera , quam Vestra familia celebris , inclytaque . Penè tamen in magna laude , magnam iniuriam intuli . Nondū enim libera erat Roma , iam celebritatem meruerat VOLESVS VALERIVS , primus in Vrbe VALERIÆ , seu VOLESAE (quæ & in Sabinis , VALESIA appellabatur) gentis auctor , cuius pars in PVBLCOLARVM cognomen postea abiit , parte alterâ intra VOLESORVM , aut VALERIORVM appellationem hærente ; vel ipsâ quoq; noua nomina nouis factis induente . Atque hic Valerius ille est , qui singulari prudentiâ & auctoritate Romulum , Tatiumque Reges , à bello & hostilitate ad colloquium traxit , & Romanis ac Sabinis præcipuum consiliorum momentum fuit , vt depositis odijs , armisque , in vnum populum coirēt , clarissimo exemplo se concordiæ ducem præstans , & iam tunc posterorum cognomento , indolique præludens , quæ tota publicæ charitatis futura erant . Idem ergo , vt Vrbem , quam à belli necessitate soluerat , sobolis necessitudine , & accessione suâ augeret , mox vnâ cum Tatio Rege Romam , se , domumque omnem è Sabinis transtulit , ubi ILLVSTRISSIMAM antè familiam eam fuisse Halicarnassæus testatur . Adeò iam tum Socia Regum , familia Vestra fuit , vt non mirum sit , si frequens in eâ domo dignitas

Plutarchus
in Publico-
la.

Lib. 7.
Antiq. Röß

Volesus
Valerius
primus ge-
neris au-
ctor tem-
pore Ro-
muli.

Antea San-
ctacrucij
de Publico-
lis Voca-
bantur in
hac familia

gnitas illa existat, quæ tam propè Regum honorē æquat.
Sed VOLESI quidem stirps sub veteri appellatione, Re-
gum tempore durauit, quasi nonnisi cum ipsis mutari
posset, quos fundauerat, aut stabiliuerat. Diuersa tamē
vtrinq; mutatio: Reges in exilium, Valerij ad Regiæ po-
testatis vices, aliaque, & alia semper honorum insignia
translati. Duos verò ex ea tunc gente præcipue Viros,

Liuinus lib.
2. dec. 1.

prisca annalium diligentia effert; vnum, *M. Valerium Vole-
sum*, qui secundus in Vrbe Dictator fuit; licet vetus aucto-
ritas non defuerit, quæ filium eius primum Dictatorem
memoret. Alterum, *P. Valerium*, qui Princeps posthac gene-
ris, siue à filio, (si sic filius de patre loqui potest) vel à Li-

Lib. 3.
dec. 1. in
Oroë Pu-
blicola 2.

lio appellatus est. Is ergo sub vltimo Rege ita eminuit,
vt vltimum faceret; miro rerum fato, vt sicut Volesus,
primum Romanorum Regem societate & pace Sabinā fir-
mavit, externumq; in Vrbem induxit, ita hīc omnes ej-
ceret. Idem à multis deinde, & præclaris facinoribus,
primus cognomen PUBLICOLÆ acquisiuit, nisi priùs fuis-
set LIBERATORIS, & VINDICIS Patriæ, quod licet
nomini suo publicè non induerit, induit tamen merito.
Iam tum enim omne cognomen meruit, cum Tarquinios,
& totam Regiæ libidinis dominationem, Regno, Vrbe,
reditu exclusit; cùm insidias libertatis & salutis publicæ,
in magnarum familiarum, & Bruti (quis crederet?) do-
mo latentem, & prudenter detexit, & fortiter vindica-
uit, ac patriæ oppressionem, & tyrannidem in insperatæ
coniurationis perfidia redeuntem, oppressit, atq; extin-
xit. Neque tamen tam magnæ appellationis honor, eum
in publicis monumentis effugit. Vniuersa enim fasto-
rum memoria, & læta posteritatis gratitudo, libens hoc
in illo, stirpeque eius cognomen fixit. Ipse quoque ante
acceptum

acceptum PUBLICOLÆ vocabulum, iam se *Liberatorem Patriæ*, in concione, ad quam primùm summissis fascibus descenderat, pulcherimâ meritorum fiduciâ appellauit, dignus, cui Populus, & Patria suum nomen daret, nisi idem iam virtutis fuisset, quæ mox in suo nomine, & in honore toto exprimetur. Post hæc verò Liberatoris & Vindicis decora, titulosque, quid opus erat à *Populo culto* cognomen accipere, à quo seruato, maius habebat? Et tamen accepit, tanquam solum meruisse, aut illic omnē virtutem posteris commendasset. Hæc erat illa comitas, modestia, & animi cum fascibus submissio, qua plebis honori, imperij insignia subiecit, fascibusque secures admittit, nè ijs videretur in populi formidinem, aut periculū vti, quas pro libertate, in proditorum, & hostium tantum cœrui ces strinxerat. Sic verò ademit, vt ijs intra urbem non vteretur, sed ibi demum fascibus redderet, vbi à Patria non conspicerentur, aut non timerentur. Quid de legibus dicam? quas non æri, nec fastis, aut tabulis tantum, quantum animis, & libertati populi inscripsit, gratissimo, validissimoque ad securitatem ipsius præsidio. Prætero alia, quæ toties repetitum Consulatum, beneficio publico commendarunt. Annon verò illud titulis omnibus excelsius, adeoque arcibus ipsis Romanis, ac Capitolio suo illustrius, quod cum in summa Velia, in ipso nempe Capitolio, domum haberet, eam in planum deferri iusserit, nè quidquam supra populum, nisi meritum haberet? Hæc morum, animique, etiam in summis potestatibus, summæq; gloriæ conscientiâ semper moderatio & mansuetudo, ab hoc generis auctore, sic in progeniem transiuit, vt hodie quoq; innatæ, insitæque, & hæreditariæ agnoscantur. Sed nondum placet à Publicola

cola discedere , cuius nihil commemorari potest , quod non ad vniuersæ gentis laudē pertinere iure debeat . Monuit enim me , nē desererem , Purpura tua , ILL^{mc} CARDINALIS , Regum olim insigne , nunc etiam tuum , & iam pridem familiæ . Neq; enim stirpis Vestræ parens , citius eam Regibus , vt potè iam illic cruentam , impianq; detraxit , quām mitem & innocentem , sibi induit , vt tota esset humanitatis , tota benevolentia , & in Patriam pietatis . Nec mihi quisquam illic rem angustam Viri obiciat , vbi in tota imperij maiestate , toties Consulatus , & Triumphi , per laureata limina intrarunt . Et quamuis non primus omnino Consul fuerit , consilio tamen , & animi magnitudine effecit , vt Consulem primum Roma haberet , dignus esse primus , nisi Collatinum vxor , & Lucretia , & iniuria prætulisset , tam honorificè tamen mox sufficiendus , quām ille ignominiosè deiectus , & penè exulare iussus . Generosissimo testimonio meritum hoc signauit Plutarchus , qui inuito Bruto Collegam datum , Collatinum refert , non illum quidem virtute præstantiorem Valerio , sed spe odij contra Reges , in coniugis vulnere , & sic veluti publicâ violatione commendatum . Sic quoque cum primo Consule reuera Consul fuit Valerius , quasi iam tunc primas semper habituram familiā polliceretur . Neque verò is postea ignauè Consulatum gerere potuit , quem tam fortiter meruerat , tres postea meriturus . Primo quidē de Hetruscis , post Reges primus triumphauit ; secundo , Porsenam ad bellum deponendum compulit ; quo tempore illa Romanæ virtutis miracula extitère , Coæcles , & Scæuola , & Clælia , digna tanto Consule decorata ; nisi quòd in Clælia propriorem etiam Valerij , & familiæ gloriam , (cùm ad fœminas accedemus) prodituri simus ;

Liu. lib. 7.
dec. 1. sic.
Eodem an-
no familia
ista consul-
latum , quo
vrbs con-
sulem ha-
buit.

In Publi-
cola.

& scæ-

& Scœuola suam quoq; laudem, & sanguinem, cum Publicolis iuncturus sit. Tertio Consulatu Porsenam ad certam pacem, Tarquinium ad desperationem adegit. Quarto, contra Sabinos pugnauit, iterumq; triumphauit, annoque post, *Omnium consensu princeps belli, pacisque artibus, gloria ingenti, diem obijt, è publico elatus, per annum lugentibus matronis.* Quod, ut soli Bruto ante contigerat, ita illud Valerio supra omnium laudes mortuo euenit, ut in Velia intra Vrbem, ex plebiscito humaretur, habiturus sepulchrum, vbi arcem imperij Roma habebat. Hoc verò Privilegium, in familia Publicolarum durasse suo etiam tempore, testatur Plutarchus, nobile Valeriae gentis, & durationis argumentum. Nec in filijs degenerauit successio. Eadem utrinque virtus, & plerumq; nomina. Nam & is Publius erat, qui in secundo Consulatu suo, contra A. Herdonium Sabinum, seruorum exulumq; ducem, Dux Patriæ, populum & vindictam ducens, in Capitolio cecidit, postquam varia domi forisq; certamina subierat, tam fortis pro patria mori, quam pater consulere, aut bellare. Alter deinde Publius, bello Latino, vnâ cum fratre M. Valerio (quid enim angustè familiam metimur?) fortiter pugnando ad lacum Regillum mortem oppetit. Sed ne scio, an non maius hoc ipso decus petijt, cum patrum M. Valerium seminecem in acie, fratrnâ adiutus caritate, armisque, pro viribus protexit, & cum hostibus cadauer cripuisset, tertia familie victima occubuit. Adeò non fatum solum, sed pietas fratres coniunxit, nec mori tantum pro patria potuisse viderentur. Et quamuis germanorum fratrum germanam virtutem, laudemque in historia omiserit Liuius, noluit tamen omittere Halicarnassus, accurrior s̄epe in Romana historia auctor, quam

Liuij ver.
ba lib. 2.
d. 1.

In Publi-
cola.

P. Publico-
la primi si-
lius.

Alij due
germani
fratres: de
quibus Ha-
licar. l. 6.

Patrui enī
folius me-
minit.

GRATVLATIO

in sua Romanus. Nec ingratus erga Publicolas videbor;
si eum Publum prius, cognationi & honori monstravi,
qui quadraginta annorum interuallo, illorum fatum, suo

Illi duo
pro Patria
obiere. An-
no V. C.
255. hic

subsecutus est. Ita quidem illi priores ætate fuere; &
possent videri laude, nisi in hoc Consulatum, & fasces,
latiusque memoratam famam, & decus secutus fuisse.

Nam & hic Patriam seruauit, cum hostes ex Arce Urbis
ciecit, victoriamque, & salutem publicam morte suâ cō-
secravit. Poterat is Capitolinus esse, sicut à deiecto inde
hoste fuit Manlius, nisi beneficium erga Patriam, cogno-
mine, & gloriâ prius, potiusque illi fuisse. Et Manlius
ita postea fuit, vt & Capitolio, & nomine, gloriaque
totâ exciderit. Quid deinde expectamus? hic talis, tā-
tusque vir, cum gloriæ omni suffecisset, sepulturæ ho-

Luij ver-
bal. 3.
dec. 1.

suffeciit. Plebs in domum Consulis quadrantes iactauit, vt funere
ampliore efferretur. Huic successit non in domo tantum,

L. Val. Po-
titus nepos
Publicolæ
1.

sed in honoribus, in studio, & amore publico, L. Valerius
Potitus. Virtutis non interest, vnde cognomen nouum
traxerit, cum non desierit animo, moribus, factisque es-
se Publicola. Ut agnoscas, moram virtuti esse non po-
tuisse, anno Duodecimo statim post patris pro patriâ
mortem, Consulatui, & Maiorum titulis successit. Ita
deinde Consul, & Tribunus Plebis Consulari potestate
fuit, vt Populum à Patribus, & sic veluti à Patria diuisum,
alienatumque reconciliârit, pacemque in Republ. resti-
tuerit, aut defendenterit. Et potuisset hic, Publicolæ cogno-
guum reliquerit, vter amantius, gratiusque meruerit.
Neminem enim nisi hunc è Patribus, cū Horatio, plebs in
monte domestico, tanquam in hostico infesta, oratorem
& lega-

& legatum poposcit, aut tulit conciliatorem, vel ad pacem, secuta est ducem. Ac ne dissimilis aui beneficio esset, quemadmodum is Regium nomen, imperiumque, itâ hic Decemuirorum sustulit, tantò atrocius, quantò plurium. Et hunc quidem, Publicolæ secundi filium, & nepotem primi, Halicarnassæus non obscurè profitetur. Tametsi verò, neque ipse, nec Liuius, eum Publicolam appellant, etiam cùm ijsdem annis, alias Publicolas nominant, non tamen ea res Potitum, familiæ, & appellationi auitæ eximere debet, cum eum & Historia, & se ipse, meritis plusquam popularibus, Publicolarum cognomento, & origini vendicet. Quaproter cum, Liberatorem Liuius, Recuperatorem libertatis, & Principem popularium Senatorum, ac euersorem Decemuiratus, Dionisius, pleno ad virtutis, generisque testimonium, documento vocant. Sed & illud, pulcherrimo ad consanguineæ laudis similitudinem argumento in Potito, & nepote eminet, quòd, sicut auus, post electos Reges, cum primo Consule, Consul fuit, itâ hic primus cum Horatio laborum socio, post Decemuiros exactos Consul fuerit. Adeò Publicolæ, maxima facinora, aut soli semper edidere, aut non nisi cum maximis viris. An verò in L. Potito, pars Publicolarum, ad Potitorum imposterum cognomen transferit, illicque omnino hæserit, nullius diligentia industria, vel curiositas aperte prodidit. Quod tamen nouum, aut insolens non fuisset, cum factum omne, & casus, sèpè Romanas familias in alia vocabula translulerit, ut mox Publicolas in Coruinos, & Messalas transferet. Ipsa denique Historia, quid nisi satis celebritati gentis confusa videtur, quæ cùm Lucium, & Caium, & Aulum Potitos memorat, pariter tamen, ac eodem tempore Lucios, Publius, pluresq; Publicolas, in diuersis

Lib. 11.
Ant.Lib. 4. d.
1.Lib. 11.
Antiq.

diuersis factis , aut dignitatibus recenset ? Ut enim alios
 omittamus , L. Valerius Potitus quintum iam Tribunus
 quadriennio antē fuerat , quām Lucius Val. Publicola , pri-
 mūm esset . Septimo deinde post anno , hic à Potito Inter-
 rege , Tribunus III. creatus est , postea & ipse ad Tribuna-
 tum toties refecus , vt Potiti numerum æquaret . Hunc
 verò *Lucium Publicolam* , & alios in annalibus eodem secu-
 lo , & ætate monstratos , maiorumque cognomina reti-
 nentes , veram , ac proximam stirpem , & successorem pri-
 mi , ac secundi Publicolæ fuisse , non solum appellatio , sed
 etiam tempora ita vicina , & continua , vt nihil interseri
 possit , cum evidenti , tum verò necessario documento
 euincunt . Potitorum verò cognomen , ex quo in Consu-
 latu famæ monstratum est Anno V.C. 306^{to} , in fastis ,
 honoreq; publico legitur ad Annū 423^m quando cum
 M. Cl. Marcello Consul fuit L. Val. Potitus , cui præno-
 men Titus , Liuio quidem auctore , Diodoro autem , &
 Cassiodoro , Caius . Nec minus interim Publicolæ suum
 retinebant , donec gloria mutauit . Inter quos Tribunus
 Plebis Consulari potestate Quintūm fuit *L. Val. Publico-
 la* , Anno V.C. 375^{to} . Consul verò primūm *M. V. Publi-
 cola* 400^{mo} . cui hoc ad laudem insigne fuit , quod Con-
 sulatus post Undecimum annum plebi erectus , & in illo
 Patricijs restitutus fuerit . Nec aliter decebat Publicolas ,
 quartum veluti ætatis suæ , laudisque seculum , inchoare .
 Tertio pōst anno , hunc in fascibus , & familia exceptit . *P.
 Val. Publicola* primūm Consul . Neq; enim nisi in dignita-
 tibus gentis huius viros , Historiæ nominare libuit , aut
 nobis fas est . Et quid miramur , si genus , & nobilitas Pu-
 blicolarum , in plures propagines , decoraque se diffude-
 rit ? Non potuit tam fœcunda virtus , uno germine , stir-
 peq;

Amplius
 200. annis
 Potitorum
 ex Publi-
 colarum
 familia ,
 celebre fu-
 it cogno-
 men.

peq; includi. Quām enim semper gloriæ capax, tam viris, animisque copiosa familia ea esse debuit, quæ patriam semper liberare, quæ seruare, quæ denique ornare debuit. Et iam bella, & Reges, ac Decemviri, & rebelles sublati; iam honor, dignitasque omnis, & triumphi, in eorum titulis legebantur. Successit foeda fœnoris moles, fidem, fortunasque ciuium euertens, cui tollendæ, aut leuandæ, nulla hactenus par cura esse potuerat. Ut toleretur, aut leuaretur tam atrox malum, opus iterum fuit Publicolæ. Suscepit rem difficilimā, cum collega Publius (quem diximus) Valerius, & perfecit. Solutionem enim aeris alieni in publicam curam vertit. Ad huius autem Consulatum primum, à primo Publicolæ, qui dignitatem hanc in familiam, aut (vt beneficium totum in merito suo exprimam) in Patriam intulit, Anni 136. numerantur. Sed erit, cùm multò, & maiores annorum numerum, & propiorem in Consulatu Publicolam producemus. Et iam tempus erat, vt nouum cognomen, virtus Publicolarum mereretur. Sed & cùm merendum erat, non nisi in victoriæ iam appellatione mereri voluit. Inter hos primus fuit CORVINVS. Res, factum, virtus nota. Neque tamen is, cognomen hoc antè sibi, quām Patriæ victoriam, aut victoriæ omen, acquisiuit. Postquam enim Gallum certamen offerentem vicerat, non timuit quoque Romanus exercitus Gallicum vincere: quæ utraque victoria, in Annum V. C. 406. incidit. Proximus illum statim annus ad Consulatum euexit, quem postea crebris honoribus, variâque rerum gestarum gloriâ in immensum auxit, cum & ter de hostibus triūphârit, & sexies Consulatum gesserit; quem numerum solus antè Quintius Capitolinus attigerat. Quid, quod à primo eius Consulatu, ad VI,

Luij ver-
bal. 7. d.
I.

Corvinus
nouum co-
gnomen
Publicola-
rum.

ad VI^{um}, Quadraginta sex annos curiositas, aut admiratio numeret? Reseruasse se tamdiu, non defecisse virtus ostendit. Decimo deinde ab hoc anno, filius eo honore perfunditus est. Nam eos, qui Parrem ad VII^{mum} Consulatum prouehunt, tacendo, aut aliud agendo refutat. Plutarchus, cum neminem, ante Marium ad VII^m. Consulatum ascendisse asseueret. Nec furios duos, Medullinū, & Camillum, optimi fasces, in Consulatu, sed in Tribunatu tantum ostendere. Tentauit quidem nuper ambitionis alienæ claritudinis ostentatio, multum è fortitudinis, plurimùm è gloriæ magnitudine, Coruino detrahere. Plus enim Coruo, quām virtuti Valerij, iam in prænomine Maximi, tribuere nititur, vt in alio Valerio, cui Præconini cognomen, aliquot pòst ætatibus, à Moritasgo Gallo, in Galliâ interfecto, Valesiorum cognomen inueniat, tanquam in nominis similitudine, vindictam, & infamiam Valerijs, & familiæ redditurus. Quasi verò fabulis, aut figmentis, Regium Valesiorum genus, ad cognomen usque eguerit, cui tamdiu sceptræ, & fasces ad decus omne superfuere. Libet verò, libebitque semper, fidei plus tribuere & victoriæ, & Romæ, & publico consensui, qui Coruinum ab hoc statim facinore ad Consulatum extulit, mansurum procul dubio cum nigerrima auctoritate obscuritatem, & atrum fortunæ calculum, si potior viri virtute, & tam felici dexterâ fuisset Coruus. Et quid de virtute ambigimus? qui non semel, sed sextum se fascibus approbavit. Quanquam, quid ad meriti, laudisque sinceritatem exactius, aut illustrius statim esse potuit, quām quòd non ambitione, sed absens, non vi aut dolomaliſuē artibus, sed summo populi fauore, non ætate prouectâ, sed ante dignitatis acquirendæ annos, nempe

Filius Cor-
uini Anno
V.C. 464.
Consul.

In Mario.

St. Foreat,
I.C. de O-
rig. Valesi-
orum.

Maximum
appellat.
Cell. I. 9.
C. II.

Vigesimo tertio, à Dictatore Torquato, emulum decoris sui e-
gente, Consul renunciatus est, quod nescio, an non plus
quam Consulatus ipse fuerit. Nec me diu nimis in fami-
lia tuae, ILL^{me} CARDINALIS, laudibus immorari quis-
quam grauiter feret. Quid enim Coruino in dignitatibus
diuturnius? cuius iam Quadraginta sex annos in Consu-
latibus, non absque gratissimæ memoriae renouatione,
produxi. Atque hæc illa familia est, quæ ait: suæ quodā-
modo viuacitatem referens, vincens certè, utissimè co-
gnomen, & celebritatem, cum honoribus retinuit? A
primi enim Coruini cognomine, ad A. Cornelij Consu-
latum sub Tiberio Imper., 390. anni fuere.

Sed iam maiora spacia virtuti Coruinorum, debe-
bantur. Ausa enim est Vrbem, & Romuli angustias, &
quicquid Romanum Imperium hactenus fuerat, cogno-
minis merito transcendere, & noui vocabuli honorem,
ultra continentem prima querere. Plures quidem id po-
stea emulati, è varijs, ac totis sæpe mundi partibus spaci-
osa cognomenta sumpsere, sed iarò ad nepotes duratura.
Valerius, Coruini, & Publicolæ stirps, sic à *Messana* Siciliæ
Vrbe expugnatâ accepit, vt longissimâ serie ad posteros
transmiserit. Sed quod *Messana* primum fuerat, postea
blandiente literæ, & consuetudinis facilitate, in *Messa- lam* transiuit. Ac ne quis vile, aut ignobile decus, Mes-
sanam victam putet, ipse *Valerius* gloriae suæ magnitudi-
ni fisus, Princeps tabulam picturæ pralii, quo *Carthaginenses* &
Hieronem in *Sicilia* devicerat, (en, quantò plus hic, quam
Messana est!) proposuit in latere Curiæ Hostilie, Anno ab V.
Cond. CCCX C^{mo}. Cœbra hinc in fastis Messalarum di-
gnitas, cum post factum hoc, per 233. annos in Consu-
latibus celebrentur, donec se cum *Augusto*, & vero Im-

D

perio

Verba Li.
uij 1. 7.
d. 1.

Valerius
Messala di-
cti.

Plinij ver-
ba l. 35.
c. 4.

perio, (vt appellat Suetonius) & cum fine bellī Ciuilis,
 (Dyonisio recensente,) iunxere, ac deinde per 300. am-
 plius annos, ad Probi Imperatoris quartum annum pro-
 duxere, semperq; protulere in Purpura, ac fascibus. Sa-
 pe tamen Messalæ, Coruinorum pariter nomen retinue-
 re, vel vtrumq; iunxere, vt nobilis ille Orator Augusto
 imperante, qui etiam tantus fuit, vt Prætūram Vrbis sex-
 to postquam acceperat die, deposuerit, & generis sui cla-
 ritudinem tanti fecerit, vt Læuinum cognomen, quam-
 uis in Consulatibus monstratum, ad suam familiam non
 admiserit. Cæterum ex ijs, qui in solâ Coruini appella-
 tione, per summos honores iueré, vltimum in fastis pu-
 blicatis nomen sub Tiberio, quo diximus anno, habuit
 Cornelius Coruinus; quem tertio pōst exceptit in Consu-
 latu, & in Publicolæ iterum cognomine, L. VIPSANIUS,

ad quem, á primo Publicolæ nomine, Quingentorum
 Quinquaginta trium annorum ævum fuit. Poterat hunc
 penè videre Consulem Plutarchus (nam se vixisse sub Ne-
 rone non tacet, ad quem ab hoc Vips. Publicolæ Consu-
 latu, octo tantum anni recensentur) quo clariorem, fa-
 miliæ vestræ, ILL^{me} CARDINALIS, vetustas, ac gloria,
 testem, vindicemq; habere non potest. Cum enim Publi-
 colam, principem autoritate, & gloria, Ciuitatis Romanae, ob vir-
 tutem, dum viueret, fuisse memorasset, adiecit, ad mortuum,
 ex clarissimis familiis, & gentibus, sua ætate PUBLICOLAS,
 MESSALAS, VALERIOS, per sexcentos annos, nobilitatis
 splendorem, sicut ad originem referre. Qui quidem numerus
 cum penultimo Domitianus anno conuenit, qui erat Vr-
 bis 847^{us}, ad quem á 247^{mo}, qui Valerio dedit Publico-
 lae cognomen, sexcenti integri excurrunt. Sic quidem e-
 xactissimi calculi ratio se habet. Quòd si communem fa-

Alex. gen.

I. 6: c. 2.

Plin. I. 35.

c. 2.

Vips. Pu-

blicola Cō-

sul Anno

Chri. 50.

V.C. 800.

In Publi-
cola.

rē æstimationem secuti, eum sub Traiano scriptā sua vul-
gasse censeamus, exiguo interuallo annum 600^{mū} ex-
cedit, nec cum seculorum ætate comparando. Ac, ne quis
in solo nomine, vel nudā cognomenti ostentatione hæ-
sisse, vel superstites fuisse Publicolas existimaret, ipse ve-
ræ, synceræque originis in publicâ authoritate argumen-
tum protulit, dum eos suo tempore, priscum sepulturæ
in Velia priuilegium, sub Publicolâ familiæ principe ac-
ceptum, retinuisse, & usurpassæ testatur. Ut tamen innata-
m generis modestiam deprehendas, sic eo vsos fuisse,
ut cadauer quidem eo deferrent, & deponerent, non tamen conde-
rent, sed facem ita subiicerent, ut statim retraherent; quo Ius si-
bi testarentur esse, sed honore illo abstinere. Adeò nunquam fa-
milia Vestra, ILL^{me} CARDINALIS, virtutem, qua coe-
pit, qua stetit, qua floruit, deserere potuit: imò si magni-
tudinem animi seuerissimè examinemus, indole, quam ia-
ctantiâ gloriosior semper fuit.

Quod hinc superest spacij ad Helenam, & Constan-
tinum (vbi se alio cognomine ornauerè Publicolæ) lon-
gè breuius decursu est, quam ab origine cucurrerat gene-
ris Vestri successio, gloriaq; : quidni, ut reliquum etiam,
non certius tantum, sed honorificentius, sed & magis piè
sanctèque, sicut CRVCIS decebat cognomē, decurreret?
Hoc enim tempus erit, cùm nolet solum, aut incomitatū
incedere, quod nunquam nisi cum honoribus incesserat.
Simil enim, & CRVCIS, & SANCTITATIS dignita-
tem, in vnum, nomini iunget, & sibi. Quis hic verò, in tā
magñæ, tamq; amplæ, & religiosæ, adeoque diuinæ rei
commemoratione, satis narrationis, vel imbecillitatem,
vel tenuitatem, aut denique inficitiam absoluat? Ad sum-
mum decus cognominis veni; cur tam humilis? tam exi-

lis repit oratio? an verò hic primum hærendum? hic sistendum erit? vbi, cum tam præclara, tamque excelsa nomina, & (si verè æstimemus) miracula, occurrant, tam multa mihi transeunda, tam multa prætermittenda erunt. Sed hæc quoque vestræ modestiæ, vestræ humanitatis culpa, an gloria? erit, nihil in sui laudatione, & in dictiōnis ipsius habitu, cultuque superbū, tumidumue, aut inflatum admittere.

Desponderat iam sibi, non tam Imperator Constantius, quām Religio *Helenam*, nobile illud Britannici cœli decus. Et, quid nisi trans mare quærenda erat, quæ trans aliud mare illud quæreret, in quo salutem suam Mundus acquisuerat, vnde postea PVBLICOLÆ sibi cognomen acquisituri erant? Nam & hoc gentis Vestræ decus erit,

ILL^{me} CARDINALIS, tunc in familia, comitatu, & præfidijs militaribus Helenæ fuisse Publicolam; nisi maius esset, sic fuisse, vt non Aquilas, & Ordines tantum is duceret, sed manum, sed pietatem, sed proximum obsequium, ad quærendam, ad inueniendam CRVCEM adduceret. Ite nunc magna, & Torquata nomina; & aurum, spoliaque, in titulis reportate; ite Martia, ac triumphalia vocabula; & Regna, vrbesque expugnatas in cognomētis, aut triumphis ducite; ite denique ignoti Orbis reperatores, & quicquid referre vobiscum non potuistis, reperito Orbi, & gloriæ relinquite. Refert CRVCIS repertæ, & quodammodo partæ decus, & insigne in cognomine, refert in armis, & in animis, refert in pietate, PVBLICOLA.

Pietatis enim erat, non superbiæ, non iactantiæ, militē, & armatum, & bellicis tantum cognominibus assuetum, post illa, & Consularia, & Dictatoria, & Laureata, ac vietricia, in domo & familiā, nomina, SANCTACRV-

Publicola:
militi Pre-
fectus Be-
lenz adfu-
it ad Crucē
inueniēdā :
ānde de Pu-
blicolis, di-
stī posteri.

CIS

CIS vocabulum eligere, & non sibi solùm, sed posteri-
tati imponere. Quis enim hoc, à militaribus animis, aut
castrensi disciplina, vel denique ab humano consilio, nō
diuino instinctu profectum, agnoscat? Quid deinde ho-
norificentius? immo, quid felicius, quam post illos *Populi*
vindices, post illos *Vrbis liberatores*, à verò *populi vindice*, à ve-
rò *Orbis liberatore*, eiusque gestamine, cognomen induere,
quod iam gestari non modò cum honore, sed & cum san-
ctitate, cum salute posset? In quo deinde, id laudem, &
felicitatem auxit, quòd sicut primum, aut p̄cipuum
gentis vocabulum, olim cum *Vrbis cultu* incepit, ita nunc
cum *Orbi* totius *cultu* alterum, aut summum, maximumq;
incepit. In Helena enim, & Constantino primū, ple-
nam potestatem, & securitatem Religionis colendæ, Mū-
dus, & libertas tota accepit. Sed non cognomine solo
contenta voluit esse Pietas illa, quæ iam in familiam Ve-
stram adoptata erat, aut sibi potius familiam adoptau-
erat. Nam vt firmā, perpetuāque se illic possessionē fige-
ret, & in futurum collocaret, ac cum posteritate, & suc-
cessione totâ coniungeret, publicam pariter sedem sibi,
& genti Vestræ, æternum coniunctionis testimonium, &
religionis in Deum Vestræ documentum erexit, ac con-
stituit, TEMPLVM, dico, quod in Vrbe Româ hodie,
S. MARIÆ IN PVBLICOLIS appellatur, gentilitijs San-
ctacruciorum Palatijs propinquum. Et licet sœua Vrbis
fata, legitimam s̄ p̄ Fastorum notam, & idonea tempo-
rum indicia oppresserint, stat tamen, stabitque inconcus-
sum, & sempiternum hoc pietatis, nominisque Vestri
monumentum, in quo etiam ætate nostrâ, ius (quod vo-
cant) Patronatus, genti vestræ adhærens, non patitur alieni-
uri, vel facultatis decus, aut beneficium esse Tem-
plum.

Templum
S. Marie
in Publico-
lis Sancta-
cruciorum.

plum. Et nunc saxa , & marmora illic non pro se tantum, sed pro familiæ Vestrae dignitate , & tot seculorum celebritate loquentia , in totâ claritate , copiaque producerē, nisi difficile esset , homini , penè alio in Orbe , trans alia certè sidera , Romam , & veteris memoriæ vestigia frequenter obruta , aut non exactè inspecta , nunc primùm , post tot annorum , locorumque spacia reuoluenti , Antiquitatem in magnitudinis , famæq; suæ reliquijs , cum interitu , vel obliuione pugnantibus , ita alibi in lucem proferre , quin plura , magisque eximia , & necessaria , vel ignorentur , vel prætermittantur . Quantum seræ tamen , impariq; diligentiae licet , in præterita quidem redeunti cogitationi non obscurè , neque ambigue se offert crebra adhuc vetustas , domestico inclusa Templo , præsertim Epitaphij illius viuacitas , quod inter alia , quendam SANCTA CRVCIVM DE PVBLICOLIS , supra Mille annorum æuū , illic humatum , adhuc posteritati , & nomini Vestro monstrat . Quid? quòd in vtroque cognomine , & Insulâ spectetur Antistes , quem Octingentorum annorum ætas , iam perpetuæ felicitatis gloriæ inscriptum , generis simul Vestri gloriæ , titulisque inscribit ? Et sic quidem post Sagum , se Toga illic in antiquitate ostentat , vt aliquantò post ostenderet in Purpura , quæ toties redditura erat , totiesque decus suum , vestrumque renouatura , vt tu iam , ILL^{me} CARDINALIS , Decimus in Purpuratis SANCTA CRVCIIS DE PVBLICOLIS incedas . Sed memor , me antea monuisse , non totam stirpem in Togam abiisse , penè intempestiuum nunc fore videbam , iterum ad Sagum , & bellica insignia reuolui , nisi me quoq; per alterna laudū , virtutumque vestrarum decora inopinatus , aut inuictus ordo , tenorque abriperet . Tametsi itaque per fluctus , & tem-

In Templo
S. Mariae in
Publicolis
Epitaphia
vetustissi-
ma Sanæta-
cruciorum

Decimus in
familia Car-
dinalis,

& tempestates, familia s^ep^e Vestr^a, gloriâ, aut periculis iuerit, sic tamen iuit, vt & s^ep^e serenitatem, & sidera sua habuerit. Martia enim gens, multum semper ex authore retinuit, & quia spiritus maiores in origine biberat, quām vt vel quiescere, vel latere posset, non mirum est, si per ea erupit, & veluti emicuit indoles, per quāe nō nisi magna semper erumpere virtus, nisi maxima semper emicare, gloria solet. Licet verò multūm humanitati, & mitiori vitæ parti, mores, genusque Vestrūm se tradiderit, nō longē tamen armatum decus quārendum est. Ut enim eos præteream, quos remotior ætas vetustiori gloriæ cōmendat, satis Maiorum ætate ANTONIVS SANCTA-CRVCIVS, bellica nomina fortitudine, consilio, & munere ipso impleuit, quando armis, tormentisque bellicis, & sic validiori belli parti præfuit, cum LEO X^{us}, in Vrbini oppugnatione, non Latium tantūm, & Italica pericula, sed longinqua quoq; fœdera, timoresque concussit. VALERIVM autem, veram, synceramque VALERICRVM stirpem, illum, inquam, non sanguine tantūm, sed amore, sed virtute germanum tuum, quis in tam illustri consanguineæ laudis copiâ, aut cum dignitate commemoret, aut citra fraudem prætereat? Et quamuis nihil tuba, & strepitus, clangorque militaris, aut horrida Martis ostentatio, ex annis haētenus, aut institutis illius sibi vendicet, nec sanguine, & cæde, cladeque alienâ, aut cruentis spolijs, ipse postes in Maioribus laureatos, inscripserit, eminet tamen per generosa animi, & fortitudinis innatae insignia, illa iamdiu à generis auctoribus accepta indoles, vetera pariter, & recentia gentis decora & quans: cui se nunc præcipua familiæ spes, generisque imposta^r propagandi fiducia, pulcherimo felicitatis omnine tradi- deret.

Ant. San-
ctacrucius
Leonis X.
tempore
præfectus
Instrum^{ti}
bellici.

Valerius
Sanctacruci-
cius frater
Cardinalis,

dere. Illam deinde iuuentæ vernantis gloriam , illam morum suavitatem , quâ iamdiu famam , & admiracionem sui vbiq; conciliauit , quâ summa , infima , propinqua , remota gentium , potestatum , honorumque , & necessitudinum omnium studia prouocauit , intra laudationis huius angustias includere , quid aliud , quâm laudis , & magnitudinis iniuria foret ? Et iam penè familie , nominisq; Vestri decus ipsum , & veluti gemmam , in gloriæ suæ proprietate violaueram , dum siue prædicare , siue omittere humanitatem , & benevolentiam in illo volo , aut dubito , qui in domo , aut progenie Publicolarum , si ne hac virtute nasci non potuit : in qua ita generi , ab origine inhæsit ipsa , vt sine illâ , neque magni esse voluerint , neque esse omnino potuerint P V B L I C O L E . Natalem enim domum , patriosque lares , vbi nasci Publicolæ , & posteri debebant , Valerius nondum Publicola , nè Patriâ suâ , & ciuibus altior esset , vltrò deseruit , deiecit , euerxit , non absque periculo quodammodo posteritatis , nisi altiore ei in amore , fauoreque publico , gratiorem certè in communi æqualitate , ædificasset Patria . Ut non repetam amplius fasces , & secures , iam antea à me commendatas , quas itâ dimisit , aut submisit , vt non aliter venire voluisse ad Publicolæ cognomen , credi possit . Et licet aliquid iniuriaz , aut fortunæ in hanc familiam aliquando licuerit , cui nihil , nisi magnitudo , & gloria sua , & quicquid magnos natales , animosque sequitur , obfuit , nobilitatis tamen , & dignitatis ius , meritumque , & splendorem , semper retinuit , nunc etiam vendicauit , postquâ summa potestas , non Romana tantum , sed V R B A N A est , & Vrbis siue florem , stirpesq; , non tempestatibus , vel exitio permittit , sed honori , vigorique suo , efficacissimæ

cissimæ clementiæ aurâ seruat, aut restituit. Sub huius
vmbrâ (quanquam, quid summæ potestatis benevolentia-
am ad vmbræ exilitatem extenuo?) sub huius, inquam,
clementiæ radijs, imò sole benignissimo, flos hic, tam
pulchrè crescit in Lilijs, quām creuit in Purpurâ. Licet
enim mihi appellare Lilia, *Helenam Sanctacruciam*, ac flo-
rentem eius ætatem, & quicquid ex eius coniugio, & tha-
lamij fecunditate, in tanto virtutum candore, ad gloriæ,
& posteritatis vberatatem speratur, & felicitatem. Et
quia domum, ac cognomen *Sanctacruciorum* haec tenus quo-
dammodo distractum, nunc sanguini, & amori, atque
affectioni pristino, & reliquæ fortunæ prosperitati secum
reddit, quid dubitamus, etiam daturam cultui simul &
publico *Publicolas*, & Diuino *Sanctacrucios*? Nec aliter de-
cebatur, nisi vt is, qui vtramq; familiam propagaturus erat,
nihil extra familiam, ad propagationem quæreret, nè aut
minus nobile, quām *Publicolis*, aut minus *Santum*, & pre-
ciosum, quām *Crucis*, & *Sanctitatis* nomine dignum esset,
in vllâ domus, aut sanguinis parte haberet. Sed non
tam leuiter mihi muliebre decus dimittendum erat, nè in
tam magnâ virorum serie, & togæ laude, se tam parcè
stola attingi quereretur. Ac nescio, an Roma felicius à
primo Publicolâ liberata, quām à sorore seruata fuerit.
Bellum Patriæ inferebat Coriolanus, eò grauius, quòd
iniuriâ, & ignominiâ in vltionem ferebatur. Nulla con-
trâ domi idonea satis consilia, aut vires. Ignoscite viriles
tituli, & mascula nomina. Nam fuit in fæmina, quod vi-
rorum vim, virtutemque, ac prudentiam vinceret. Ani-
mosior enim, & si euentui, si nominj credimus, validi-
or omnibus *Valeria*, *Publicolæ* (vti diximus) soror. Ve-
turiam enim Coriolani matrem, precibus, auctoritate,

E

& supre-

Helena
Sanctacru-
cia March.
Valerij
vxor.

Valeria Pu-
blicolæ so-
ror.

& supremā rerum necessitate, in castra ad hostem, & filium traxit. Quid plura & cecidere filio, non animi tātūm, sed & lachrymæ: redijtq; Vrbi pax, & incolumentas. Matronis decreta publice laudatio; templumq; muliebri fortunæ (gloriæ potius) extructum, vbi Valeria, prima Sacerdos creata est. Adeò non puduit virorum senatum, fæminis gratitudinem, & salutem suam, non solum debe-re, verùm & testari.

Valeria Pu-
blicolæ pri-
mi filia.

Plin. l. 34.
c. 6.

Sed fuit & ante Valeriæ factum, quod non in mulierebri tantum sexu, sed puellari etiam (quid refugis virtus?) ætate, viriles animos æquaret, & præmia. Valeria enim primi Publicolæ filiam, inter eas fuisse, quas ex hostium custodiâ, superato Tyberi, Patriæ se restituisse, historia omnis Romana tradit. Poterat sic, satis & fæmina, & Virginis facinus, honori, & admirationi placere; nisi Annius Fæcialis, illam solam refugisse, Tyberimque transuisse, prodidisset, & Plutarchus solam per medios pugnantes postea erupisse; sicque statuam à Romanis, non Clælia vlli, sed Valeria, virtutis testimonium, erectam. Sic quidem puella, sed è Publicolarum familiâ, honores, & præmia merita est; nisi fortè plus erat, cum Horatijs, & Scæuolis (at qui viri! quæ miracula!) meruisse. Sed iam in vicinâ laudatione manum injicit Scæuola, manum semper laudi injici, aut non nisi in laude agnoscí, assuetam. Et fortasse non paruum decus claritudini Publicolarum acceſſerat, Scæuola in Publicolæ Consulatu tam clarus, nisi nollent quodammodo tam longinquò honore ornari Publicolæ. Arctior enim, & gloriæ, & sanguinis, rerumque necessitudo adest. Primum enim, quis affinitatem, posteris illius, cum gente Vestrâ esse ignorat? Nec aliter, tam magnæ familiæ coniungi debebant, ne- vnquam

Scæuolarū
eum San-
ctaerucijs
affinitas.

vñquām , aut Publicolæ desiderare viderentur Scæuolas ,
 quorum fortia facta , in magistratibus suis tam feliciter
 experti sunt ; aut Scæuolæ Publicolas deserere , sub quo-
 rum fascib⁹ , tam fortes , tam felices fuere . Honorificum
 vtrinq; hoc , & propinquum : sed & proprius illud , quod
 laudatæ eruditiois auctoritas , publicæ famæ consensum
 secura , è Scæuolis quoque Sanctacrucios descendere , &
 P. Æmilium Scæuolam Perusij contra Triumuiros defensi-
 decus , vtriusque stirpis propagatorem memoret . Quod
 si ita est , (vti quidem multa indolis , gloriæque similitu-
 do asseuerare videtur) vbi aut illustris , tam claræ virtutis
 flamma rutilare potuit , quām in Sancti cognominis
 splendore ? aut tam nobilis dextræ sanguis generosius mi-
 sceri , quām in Crucis coniunctione , diuini olim fulgore
 sanguinis rubente ? Promisi antea , me veros ignes , ve-
 rasq; flammas producturam . En produco , sed & in fami-
 liâ . Quid enim Scæuolæ ignibus nobilius ? quid celebrius ?
 vel vbi animosiūs Romana superbit historia , aut gloria ?
 Hos tamen ignes , cis Alpes natum nuper frigus , per anti-
 quitatis , aut eruditiois infidias , inimicâ , & plusquam
 Porsenianâ manu extinguere conatum est , non alio argu-
 mento , quām quod Halicarnassœus , in Mucio nusquam
 ignes , vel Scæuolæ cognomen narrat . Sed illum quidem
 decus suum , & memoria vniuersa tuetur , nec publica fi-
 des , plus vnius fortuito silentio , auctoritatis præstari pa-
 titur , quām æui omnis consensui , præsertim , cum nullam
 aliam cognominis in Scæuolâ causam , tota infestæ sag-
 citatis industria prodere potuerit .

Hæc tenus , ILL^{me} CARDINALIS , Publicolarum ,
 gentiumq; coniunctarum , & in omnibus Sandacruciorum
 nobilitatem , & laudem , aut seriem saltē aliquam , in

Vel cōsan-
guinitas.

Cæsar Ca-
por. parte
7. vita Me-
can.

Sigism. Gi-
flenius in
præfat. ad
Halicar-
nass.

temporibus quidem interdum, nunquam tamen in dignitatibus, aut gloriâ interruptam, producere, vel signare, potius conatus sum. Nam omnia prosequi, historiæ laborantis moles, non festinantis gratulationis modus fuisset. Sufficit hos radios, hæc lumina, quæ in familiâ præcipua illuxere, sic vel origini suæ, vel nunc Soli suo ostendere. Lucem quippe à Te in posterum trahent, quem in claritudinis culmine dignitas, honorq; statuere. Neque tenuis, aut tenera hæc est lux, quamvis in iuuenescētibus annis; cum ita sit in iuuenta, ut sit in incremento; nec moram, aut decrementum vereri possit, quæ scit se in crescente æuo, crescendi spem & fiduciam, meritaque acquisiuisse. Summus eius rei, maximusq; testis, censor, & iudex, Pontifex Max. qui cùm Te ad SIGISMVN-DVM REGEM, Regnumq; Poloniæ misit, Te post modestissimæ iuuentutis tyrocinium, in Urbanis utriusque Signaturæ, & Apostolici Prothonotariatus magistratibus, summa cum laude positum, mox duabus Ecclesiasticis Provinciis, cum Gubernatoris, & Prolegati imperio præpositum, ostendisse profitetur, sequutem non annorum numero computandam, dum cani sunt sensus hominis. In Hispaniensi quoque itinere Legati maximi comitè, ea pietatis & prudentie exempla edidisse, ut etiam suffragante virtute, dignus qui Pontificia mentis interpres apud Regem Christiani orbis defensorem commorareris, iudicatus fueris. Et iam summum de Te iudicium Pontifex ipse impleuit, non tam cùm commendat, aut laudat, quam cùm per hæc merita, in summum Christiani Orbis senatum legit. Cuius idèò aestimationem, in toto gloriæ testimonio hic protuli, ut sicut nihil in laudatione, ita nihil in laudatore esset, nisi summum, maximumque. Neque enim magna laudantem, paruo decebat ore loqui. Sed & Tu iam omnia impleuisti

Ex literis
Pontificis
ad Sereniss-
simum Po-
lonum &
Sueciam
REGEM.

LLMI
CARDLIS
Barberini.

nisti, si hoc cursu perges, qui non potes alio; cui ad magna, semper maxima in familiâ præiuit virtus, dignitasq;, & quæ mox se in *Cruce* ita inuenit *Sanctitas*, vt fixerit in cognomine, in indole; quæ vtraque deinde sic in nominis constitutione se composueré, vt in animis, & successione deposuerint. Errant quidem sæpe cognomina, nec semper totâ cum virtute ad posteros descendunt, quâ in origine cæperant, vel in Maioribus cucurrerant. Ad Te, sic *Crux*, & *Sanctitas*, in familiâ, in cognomine descēdūt, vt primus mereri potuisse videaris. Iis enim Religionis, & Diuini cultus, amorisque argumentis, totius Regni imitationem excitasti, & expleuisti admirationē, vt cum omnes virtutes tuas, omnes ament, ac prædicent, hanc vnam suspiciant, & venerentur. Nec erraui, si vnam, virtutem hanc dixi. Quicquid enim tam indissolubile fædus cum Deo coniunxit, oratio non debuit disiungere. Atque hæc illa est virtus, cui sese salus, & incolumenta Tua, vltro debent. Nec tamen quicquam derogo constantiæ, quam laudau; nec quidem diligentia, ac industriæ, quam cum laudare deberem, non potui, nisi mirari. Vbi enim se iustiùs vinci, omnis loquendi facultas, aut stupor, fateri debet, quam circa nuperi periculi, aut gloriæ, commemorationem? Fremunt circa Te, & salutem Tuam, multiplici tumultu pestes, & veluti tempestates, strepunt terrore toto discrimina, fulminat Fortuna, TONANT CASVS, VINCIS CVRÀ, peruincis consilio, superas prudentiâ. Sic quidem potest hoc dari industriæ, curæ, prudentiæ: non succensebis tamen sanctiori merito. Plurimum enim, aut totum sibi vendicat Pietas, & *Crux*, & nusquam cognominis sui desertrix *Sanctitas*. Et, quid nisi saluum & incolumentem Te, præstare potuit illa, non titulo tantum

Anagramma super
Antonius Sancta
crucis.

tantum, vel insignibus, sed animo gestata, quae salutem
humanæ generis gestauit? Vbi deinde certius, aut illustri-
us pia exultant exempla? aut vbi se gloriosius felicitati
magna ostentant beneficia, quam in virtute, in miraculis
Crucis? quae etiam dum later, dum queritur, apud Barba-
ros Christianorum causam agit, ut vincant, ut trium-
phant. Amat illa magna, quia facit, sic tamen, ut non
nomina sola, sed pectora eligat, nec alia, quam quae in
magnitudine innocentiam, in animo submissionem ge-
runt. Sic in Cæsaribus, quorum aliquando fastiduit
pompam, aut refugit ornatum, secuta est modestiam.
Quis enim dubitet, utrum Crucis portata, an recuperata
celebrior, & felicior fuerit *Heraclius?* Portare itaque, sed
cum virtutibus suis *Crucem, Sanctitatis est*, quam non potest
destituere felicitas. Quis ergo primi *Sandacrucii* pruden-
tiam, & pietatem non miretur, qui non existimauit se
Crucem recte ad nomen accipere, nisi cum *Sanctimoniam* acci-
peret? Liceat nunc ad Te, *Sandissima Crux*, orationem
hic in cognominis Tui, à te certè accepti mentione, con-
uertere, quae olim Christi cruore, nobili illo humanæ
redemptionis precio, illa Diuinæ innocentiae Purpurā
rubuisti: Admitte nunc ad nomen, ad societatem, in tu-
telam tuam, Purpuram hanc nouam, toto cum innocentiae
voto, toto cum pietatis studio venientem, ne vñquā
eam *Sanctitas* in honore, aut puritas in splendore deser-
rat; neu è in vllâ animi, aut dignitatis parte *cruici* indi-
gnitas. Ibit per discrimina, per tempestates, te duce,
te comite non in nomine tantum, sed auxilio, sed numi-
ne; imò iam iuit, & non semel præsentia tuae vim, opèque
sensit. Tuo antè patrocinio fultus, tuo robore subnixus,
calcauit aquas fallacis vestigij fidem, perfidâ glacie tegē-
tes;

tes : tuis nuper insignibus , tuo præsidio circumdatus , sacerd
uientis vndique contagionis pericula & calamitates per-
uasit illæsus , euasit incolumis . Sed iam abite pericula ,
& vos tristia nomina calamitates , ad Crucis , & tam salu-
taris nominis mentionem , abite inquam , postquam ad colo-
rem , indelemq; suam venit Purpura , quam posthac tam
arcti fæderis necessitudo , & perpetua coniunctio , nec
pallescere sinet in arduis , nec degenerare in aduersis . Et
iam hæc transiisti , ILL^{me} CARDINALIS , sed & cum
honore , nec aliò , quam ad honorem , vt amplius , nec ti-
mere possis , quæ præteriisti ; nec formidare , quæ vicisti ,
quæ superasti . Sed & qui rebus humanis , cælesti munere ,
ac potestate præsidet , auctor honoris tui , & sui beneficij
defensor , diuinâ sicut dignitate supremus , ita ope muni-
tus , contra impetus , insultusque omnes , VRBS VI
INVIA , & inexpugnabilis est , vt iam nihil à fortunâ ,
vel iniuriâ metuere possint , quos ornat , quos tuetur . Et
licet Nauim Petri , felicesque successus , impedire insidia-
rum machinæ , turbaré armorum turbines , morari bello-
rum incendia aliquando tentent , semper tamen ad cur-
sum , & felicitatem , SVB NAVI RIVI erunt , & , quâ vsus
vocabit , VIRI . Olim Viri principes Græciæ , Argo nauim
per Alpes , & montes , ad mare , ac vellus aureum , & de-
cuss cælo , (vbi adhuc conspicitur) collocandum , hume-
ris trauxeré : quanto magis vera , magnaqué vironum ,
in Ecclesiâ Principum virtus , nauim hanc , quæ cælo regi-
tur , & debetur , per saxa , & scopulos , ad portum , & fe-
licitatem deuehent ? Tu verò Maxime in terris nauis hu-
ijs Gubernator , & Rector , cuius nomen , non Vibis tan-
tum , sed Orbis regими , & saluti consecratum est , Tu ,
inquam , salutaribus consiljs , Tu promptâ , paratâque se-
per pru-

Anagram-
ma
super
Urbanus
VIII.

Plin. I. 34.


c. 8.

GRATVLATI^O

Aliud Ana-
gramma
super
Urbanus
Octauus

per prudentiâ, TV BONÂ VSVS CVRÂ Principibus concordiam, Prouincijs pacem, mundo tranquillitatem reddes. Nihil enim amarum, nihil acerbum mella tua spondent. Nam Princeps semper familiæ, vbi mellificant Apes, nūc & Orbis, sed cum melle tuo, nō potes nisi dulcedinem præstare. Habet hoc Apes, vt etiā alienæ, & peregrino in ore mellitam suadæ vim efficiant; quātò magis Tuæ, in Tuos?

Hac ergo fiduciâ, his votis, ad suadenda, ad
persuadenda pacis bona exurges; & (nè
diu felicitatem expectemus) ut feli-
cibus pergas aubus,
perges tuis.



*Aliud, præter superiora, Anagramma
nominis*

ILLVSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI
CARDINALIS.


CONSTANS, CVI VIRTVS CANA.

*Nondum annos senii numeras; iam mente senili,
Inuictumque malis, est iuuenile decus:*

*Nec numeras; (is CONSTANS, CVI VIRTVS CANA;) nec annos
Exige; maturum est fortibus omne decus.*



1726



1745-

7733
16

